



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendium Privilegiorum, Et Gratiarum Societatis Jesu

Pragae, Anno M.DCC.III.

VD18 13723553

Concilium Tridentinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65423)

casu aliquo alicui communicarent: Et cum
 usi fuerint, admoneant Præpositum Genera-
 lem.

§. 4.

Facultas commutandi legata, &c.
 Generali reservata.

Per facultates concessas Prælati Ordinis Minorum, possunt omnes Nostri Præpositi ac Rectores commutare ex uno usu ad alium necessarium legata, quæ relinquuntur Nostri Collegiis aut Domibus, dummodo id fiat sine scandalo eorum, ad quos solutio talium legatorum pertinet. SIXTUS IV. in Supplem. Min. fol. 95. concess. 317. referturque in eorum Comp. verb. *Commutare*. §. 1. quam concessionem ampliavit LEO X. in rebus donatis per viuentes, si tamen, ut dictum est, non sequatur scandalum prædictorum. Habetur in dicto Supplem. fol. 93. pag. 2. concess. 293. & refertur in Comp. ubi supra. §. 2.

De commutatione ultimæ voluntatis in alienationibus, vide verbo *Alienatio*. §. ult.

CONCILIUM
 Tridentium.

§. 1.

Decla-

Declarationes Concilii Tridentini circa res & Institutum Societatis,



Uotiescumque à Societate , vel à Præposito Generali, dubia aliqua circa Concilium Tridentinum proponuntur, quæ Institutum, vel res Societatis concernant, mens PII V. fuit, ut Cardinales ad declarationem ejusdem Concilii deputati, postquam ea declaraverint & determinaverint, reddant publicum testimonium declarationis & determinationis factæ. Habetur ex Vivæ vocis oraculo. ut in M. S. P. 44.

§. 2.

Non obstante definitione per Concil. Trident. remanet integrum Institutum quoad renuntiationem, &c.

Declaravit Pius V. non obstare definitionem Concilii Trident. sess. 25. cap. 16. de Regul. quin licitum sit Societati, perinde atque ante dictam Synodum licebat, facere quæcumque ad ejus Institutum pertinent, quoad renuntiationem, obligationem, Professionemque faciendam finito tempore Novitiatus. Id fuit Oraculum post consultam S. Congregationem, & teste Card. Alciato ut in M. S. pag. 47. & seq.

§. 3.

§. 3.

In foro conscientie uti possumus omnibus gratiis, etiam derogatis per Concilium.

Possimus uti in foro conscientie omnibus gratiis, per Antecessores Pii V. Minoribus concessis, etiam quoad illas ex eis, quæ sunt restrictæ, seu derogatæ per Concilium Trident. prout eisdem concessit idem Pius V. Vivæ vocis orac. die XXIII. Martii, an: M. DL. XVII. ut in Bull. Regul. inter Oracula ejusdem Pontificis n. 15. & Constitutione sua pro Mendicantibus dat. 17. Kal. Julii ejusdem anni. Incipit: *Et si Mendicantium Ordines*: est 7. in Bull. Regul. ubi multa privilegia, sublata per Concilium, Regul. restituuntur. Sed hæc Cōstitutio, aliæque ejusdem Pontificis in eadem materia, revocatæ sunt à Greg. XIII. Bullâ 9. in Bull. comm. quæ tamen non facit mentionem de vivæ vocis oraculis, præsertim pro foro conscientie.

Quæ hoc §. dicuntur, intelligantur de privilegiis hoc Compendio contentis, ut dicitur verbo Communicatio, in fine; Et de occultis seu non manifestis. Nam pro hujusmodi tantum fieri solent similes concessiones vivæ vocis oraculo.

CON-